1165.

31

De ludis Olympicis.

auctore

Fr. Kraemer III ante Nonas Jun.

1827.

De origine ludorum Olympicorum multa et fabulosa tradita sunt, ex quibus vel maxime praecipua, Pausania duce, commemorare sufficiat. — Sunt, qui, ab ipso Jove, debellatis Titanibus, hos ludos institutos esse dicunt,(a) in quibus Apollo primum Mercurium cursu secum certantem praevertisse, Martem pugilatu superasse dicitur. Alii, Herculem Corybantorum unum, Hercule, Alcmenae filio multo vetustiorem, ab Ida Cretae monte, unacum quatuor fratribus Paeoneo, Epimede, Jasio et Ida, Elidem venisse, ibique primum certamina Olympica instituisse narrant. — Agrum vero Eliacum, cum arboribus destitutum et solis radiis (ut Pindarus de Hercule Alcmenae filio, quem cum Idaeo confundere videtur, (b) narrat) obnoxium videret, ad Hyperboreos et in terram Istriam ut contenderet, animus eum impulit

(a) Pausan. V. 7. Aristoph. Plut. v. 583. (b) Pind. Olymp. III. 10.

Istinc cum oleastros reportavisset in Elidem, circa curriculi equestris metam eos plantavisse dicitur. Tum fratres inter se cursu certavisse, Herculem vero, ut qui natu maximus erat, arbitrum ‡ certaminis, victori coronam oleaginam imposuisse. — Post Idaeum Herculem, Clymenus, Cardis filius, Cretensis, Olympiam venisse, ibique ludis celebratis, Herculi proavo suo et aliis Curetibus aram dedicasse dicitur. — Sententia tamen veri similior, cui Pindarus etiam adstipulatus (a) Herculi, Alcmenae filio horum certaminum institutionem tribuit. Augias enim, Elidis rex, ob purgata ab Hercule stabula praemium ei promiserat. Quod cum, Hercule rogante, exsolvere recusaret, is eum interfecit et Elidem cepit, e manubiis vero ludos in honorem Jovis Olympii instituit. In omnibus certaminibus victoriam reportans, in sola eaque lucta superatus est. Nam cum omnes

(a) Pindar. Olympia III. 30.

qui aderant certaminibus, provocavisset, nemo vero ex omni coetu in certamen cum eo descendere auderet, Jupiter formam humanam induens in palaestram prodiit. Diu quidem varia fortuna et aequo Marte pugnabant, donec Jupiter, fraudem detegens, qui sit, aperiret, unde et παλαιστής apud Lycophronem vocatur. (a)

Strabo vero, in Eliacis omnes has narrationes, ut parum fide dignas repudians, Aetolicam coloniam, et plures e stirpe Heraclea in Peloponnesum venisse ait, qui, ut multis aliis Pisaeis urbibus sibi subjectis, ita Olympia etiam occupata, hos ludos ibi sin minus instituissent, certe tamen instaurassent. Nam si jam ante bellum Trojanum ulli saltem fuissent momenti, Homerum certe poetam non sine ulla mentione eos praetermisisse putat.

Sed si diligentius inspiciamus rem, jam apud Homerum certamina inveniuntur quae miram quandam Olympici ludorum Olympicorum gerunt similitudinem.

(a) Cassandra. v. 41.

ex eorum numero splendidissima ista in Patrocli exsequiis instituta referre sufficiat.(a) In his, ut in Olympicis cursu, lucta, saltu, pugilatu, disco, equis, et praeterea sagittis et jaculis certabantur. Attamen ne vestigium quidem ullum, ludorum certo tempore recurrentium, in operibus ejus exstat. —

Etsi omnes hae sententiae de origine ludorum Olympicorum allatae in diversum tendunt, hoc tamen constat, eos, cum aliquamdiu intermissi fuissent, ab Iphito, aequali Lycurgi, a quo scriptae Lacedaemoniis leges, denuo ordinatos et institutos esse.(b) Graeci enim, ea tempestate, intestinis seditionibus et pestilentia prope deleti, Iphito impellente, ad consulendum de ea calamitate Apollinem Delphicum, miserunt; et respondente Deo, expedire ab Iphito et Eleis Olympicos ludos instaurari, mandata confecerunt. — Qui cum postea iterum in oblivionem adducti essent

(a) Hom. Il. XXIII. v. 256–897. (b) Paus. Eliac. c. 4. A. 8.

Coroebus eos, auctos et renovatos, quadringentesimo et octavo post Trojae expugnationem, anno, instauravit. — Inde Olympiadibus tempus descriptum est, et ludi quinquagesimo quoque mense, vel secundo, quinti cujusque anni, mense, sub ortum novilunii habiti (facti) sunt. — Hoc cum in fervidissimum anni tempus incideret, non modo pugilibus sed et spectatoribus flagrantissimo calore conflictandum erat. Recte igitur Chius ille apud Aelianum, se servum suum delicti causa Olympiam potius abducturum, quam in pistrinum missurum esse, ait, ut, solis scilicet radiis exustus, poenas peccati luat.(a) — Nihilominus tanta floruere gloria ludi Olympici, ut non modo ex omni Graecia ex Sicilia quoque et remotioribus terris, innumerabilis hominum multitudo vel spectandi vel luctandi causa adflueret, ut, istam, ex fervidiore anni tempore orientem molestiam, nonnisi molliores

(a) Aelian. Var. Hist XIV. 18.

et delicatiores abhorruisse videantur.

Ludis praesidebant aliquamdiu Pisaei, sed ab Eleis armis oppressi, hoc honore privabantur. — E. Neque tamen Elei illis succedentes hanc dignitatem semper obtinebant, ab Arcadis afflicti, quorum jussu centesima quarta Olympias celebrabatur. Istas vero Olympiadas, ubi vel Pisaei vel Arcadi ludis praesederant, Elei irritas esse jusserunt, Ἀνολυμπιάδας vocarunt, neque in Annales, in quibus victorum nomina et omnia, quae inter ludorum celebrationem acta sunt, consignata erant, referebant. — Usque ad quinquagesimam Olympiadem, uni mandata est summa ludorum cura. Sic Iphitus primum a se editis ludis praefuit, idemque ab omnibus posteris est observatum. Quinquagesima Olympiade Duumviris, ex ipsa Eleorum civitate sorte ductis, hoc munus mandatum est. (a) — Olym Centesima tertia Olympiade, pro tribuum

(a) Pausan. Eliaca. c. 9.

Eliacarum numero duodecim praesides creati sunt, sed cum brevi postea, magnam in bello adversus Arcades Elei accepissent cladem, et agri parte multati essent, in tribus octo contracti sunt. (a). Eo factum ut Hellanodicae totidem legerentur. Centesima vero et sexta Olympiade iterum duo adjecti sunt, ut omnis numerus decem expleret, idemque usque ad Hadrianum Imperatorem permansit.

Ludorum praefecti Hellanodicae appellati, in Hellanodicaeo, [gymnasio] aedificio publico in Foro Eleo sito, per decem deinceps menses habitantes, hoc curabant, ut Athletae, priusquam in Olympiam descenderent, exercerentur, et omnibus certaminum legibus instruerentur a certis quibusdam personis, quibus hoc instruendi munus mandatum erat, quique legum conservatores νομοφύλακες vocabantur. Exacto hoc tempore [Athletae] jurabant, se decem perpetuos menses, quae ad exercitationem requirebantur accurate meditatos. Tum Hellanodicae, ne partium studio abripi se paterentur, jusjurandum

(a) Pausan. Eliaca. c. 24.

inter se dabant, se ob dijudicandam victoriam pecuniam nullam capturos.

Dum ludi habebantur, ipsi capite aperto certamina spectabant, coronas oleagineas supra genua tenentes; finitis vero ludis, et sententiis de victoribus inter se delatis, victores a praeconibus ad capiendum praemium citati, ab Hellanodicis coronabantur. — Non modo victorum nomina, sed et patrias et parentum nomina, Acertaminis, quo victoriam deportaverant, pronuntiabantur, et haud raro accidebat, ut multi longe aliam, ac natalem urbem pronuntiari juberent, vel quod violatos se a patria putarent, vel propter aliarum ~~urbium~~ amorem in alias urbes. Omnes vero victores magna et divina quasi auctoritate florebant, et cum in patriam redirent, disjecta muri parte, curru triumphali vecti, urbem ingrediebantur, significantes hoc more, urbem, viros ad eam tuendam promtos et animosos continentem, muris non indigere (a). —

Apud Spartanos, maxima post regem auctoritate valebant, summisque magistratibus et imperiis fungebantur. Cicero in oratione pro Flacco, Olympicam victoriam atque honorificam fuisse ait, ac Romae triumphus. — Alibi prima quaeque sedilia in spectaculis iis concedebantur, et publice alebantur, immo, si quis identidem palmam deportavisset summum humanae felicitatis fastigium consecutus esse putabatur. Secundum Solonis legem, Olympionicae, ex aerario publico quingentas Drachmas accipiebant, et in Prytaneo alebantur. —

Ad tranquillitatem servandam, praefecti erant ~~certi~~, qui curabant, ne quis inter certamina ordinem turbaret et ludorum sanctitatem violaret. Et quo facilius hoc negotium gererent, scipionem, imperii insigne tenebant, unde ῥαβδοφόροι vel μαστιγοφόροι appellati sunt. His praepositus erat alius, qui Ἀλυτάρχης appellabatur et proximos post Hellanodicas honoribus fungebatur.

Mulieribus adeundi potestas non erat facta, vel jam ob id, quod Athletae nudi luctarentur, vel, quod admodum, ut satis notum est in consuetudine cum sexu virili essent circumscriptae. Immo, adeo severae erant leges, ut, si quae (mulier) inter ludorum celebrationem

(a) Suet. Nero. c. 25. — Plutarch. Symposiac. Lib. II. quaest. VI.

vel Alpheum amnem transiisset, ex rupe statim dejiceretur.

Hanc legem ab una Callipatera violatam esse, auctor est Pausanias. Haec, cum filium Pisidorum produceret et ad palaestram usque prosequi ausa esset, cognita et comprehensa ad Hellanodicas deducta est; hi vero, etsi gravissimae erant leges, veneratione [tamen] quam frater jam et filius hujus mulieris, reportatis Olympiae victoriis sibi conciliaverant, ducti, impune eam dimiserunt. — Idem Pausanias in Laconicis (a): Archidami, Lacedaemoniorum regis filiam, Cyniscam, virili propemodum animo in ludis Olympicis certavisse, narrat, primamque foeminarum equos aluisse et Olympicam palmam tulisse. — Hujus puellae exemplum secutas esse postea e Macedonia nonnullas mulieres, victrices in Olympicis renuntiatas esse.

Qui in certamen Olympicum descendere volebant, decem ante ludorum initium menses in Gymnasium Eleum convenientes, totum tempus in perpetuis exercitationibus consumebant. Praecipue qui ad victoris laudem in cursu adspirabant, omnibus bellariis et abstinere (b),

(a) Laconica. c. VIII —

(b) Epictet. Enchirid. c. 35.

se abstinentes, quae ad corroborandum corpus spectabant, fecere, inde Horatius

Qui studet optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit
Abstinuit Venere et vino — —

Pugiles vero et Pancratiastae, minoris aestimati et tenuioris fere ordinis homines, saginabantur quasi, quo robustiores et ad plagas perferendas tolerabiliores fierent, igitur perraro ad senectutem perveniebant. Neque cuiquam alio, nisi in Gymnasio exercitato concessum erat in certamen descendere, et si aliquis fraudium arenam ingressus victoriam ab adversario reportavisset, palmam [coronam] (tamen) [oleagineam] (non consecuturus erat. Ad prohibendas fraudes, graviter animadversum est in eos, qui adversarium corrupuisse convincebantur. —

Luctatorum ordo tali modo ad sortem revocabatur. In urnam argenteam (κάλπιν), parvas, fabarum instar sortes inscriptas injiciebantur, ita ut duae (a)

(a) Lucian Hermotimus. c. 40.